B. N. C
FIRENZE
1069
29

1069 . 24

JACOBI SIRMONDI
SOC. JESU PRESBYTERI
OPERA VARIA
NUNC PRIMUM COLLECTA,
EX IPSIUS SCHEDIS EMENDATIORA,
NOTIS POSTHUMIS,
EPISTOLIS, ET OPUSCULIS ALIQUIBUS AUCTIORA.

ACCEDUNT


S. THEODORI STUDITÆ
EPISTOLÆ, ALIAQUE SCRIPTA DOGMATICA,
NUNQUAM ANTEA GRÆCE VULGATA,
pleraque SIRMONDO interprete.

Cura & studio JACOBI DE LA BAUNE, *ejusdem Societatis Presbyteri.*



Quinque Tomis *In folio.*





PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

Et vaneunt
Apud JOANNEM ANISSON, Typographiæ Regiæ Præfectum,
viâ Citharæâ, sub Lilio Florentino.

M. DC. XCVI.

1069
20

LECTORI.

QUÆ denuo in lucem prodeunt, collecta nunc & conjunctim excusa typis, VARIA Jacobi Sirmondi OPERA, nova commendatione aut præconio egere non putamus. Vivit hodieque, ac viget integra prorsus existimatio, quâ, dum viveret, floruit vir magnus: neque tempore imminuta, sed aucta potius & confirmata est approbatio illa & singularis favor, quo non tantum majora ejus Opera, sed libelli etiam, cum primum venerunt in hominum manus, excepti ab omnibus fuere.

Hoc enimvero affirmare de Sirmondo posse videmur, ipsum, tamquam pro merito quodam peculiari, non modo summam scriptis suis laudem, sed & præcipuam auctoritatem apud viros doctos, necnon eorumdem benevolentiam & amorem collegisse.

Non omnia Sirmondi opera nunc damus. & vero ipsius libris grandioribus hunc editionis novæ laborem impendere, haud adeo necessarium fuit vel hoc ipso quod grandiores sunt, id est, quorum exemplaria tam cito dissipari absumique minime soleant. Adde quod Galliæ quidem Conciliorum tomi tres, integri prorsus in Conciliorum Collectione maxima, & Paschasius Radbertus in maxima Patrum Bibliotheca Lugduni edita, jam recusi fuere. Atque ex minoris quoque formæ libris, omisimus *sancti Augustini Sermones novos XL. sancti Fulgentii de veritate prædestinationis & gratiæ libros tres, cum aliis aliquot ejusdem aliorumque opusculis* : rursus *S. Fulgentii librorum contra Fabianum Excerpta : Flodoardi Historiam Ecclesiæ Remensis : Vitam S. Leonis IX. Papæ* : itemque *S. Caroli Flandriæ Comitis Vitam* : quæ omnia primus quidem Sirmondus eruit atque in lucem produxit. verum novi Sermones illi postea inter alia S. Augustini Opera non semel recusi sunt : Fulgentii autem editio integra prodiit abhinc annos aliquot : Flodoardum Georgius Colvenerius, Sirmondiana editione usus, ac præterea plures melioresque codices nactus, sexto post anno perfectiorem emisit : postremo Leonis IX. & Caroli Flandri vitas Henschenius & Papebrochius Actis Sanctorum intexuere, & suis utramque Notis insuper illustravere. Ac priorem quidem cum tribus pervetustis codicibus & Sirmondi editione contulerunt : altera autem ab iisdem doctissimis viris ex gemino codice mss. pluribus in locis emendata & integritati restituta. Ex illis tamen Sirmondi libris sex, pariterque ex majoribus, Theodoreto, Hincmaro, Paschasio Radberto, Galliæ Conciliis, præfationes eruditissimas ac elegantissimas decerpsimus, easque in quartum hujus collectionis

tomum, una cum aliquot aliis conjecimus. Præfationem verò & Notas in novos Sermones Augustini, sane dignas quæ ubique legantur, tomo primo inseruimus. Alios autem libros, quoscumque Sirmondus edidit, universos atque integros, ut ab ipso emissi fuerunt, omniaque ipsius Opuscula, quinque tomis formæ maximæ complexi sumus: quo libelli etiam, quorum aliqui prope disperierant, deinceps, velut facto agmine, tueantur se se ipsa quoque voluminum mole, ac præstantis viri prorsus nihil intercidat.

Jam vero, quod spectat eorum omnium quæ damus distributionem & ordinem; priores tomi tres continent veterum scripta quæ aut ipse luce donavit primus, aut denuo ex melioribus codicibus recognita & castigata, necnon auctiora sæpe & pleniora vulgavit. Secuti porro in hac editione sumus ordinem temporis potius quo illi auctores vixere, quam quo eorum libri a Sirmondo in lucem emissi sunt.

Etsi autem satis constabat Sirmondianas editiones ex optimæ notæ codicibus summaque diligentia expressas fuisse; nihilominus eas cum aliis antiquis mss. quoscumque ex locupletioribus bibliothecis, aut ex doctorum hominum scriniis habere potuimus, tum etiam cum aliis eorumdem veterum scriptorum editionibus Sirmondo posterioribus, si quæ fuerunt, diligenter comparavimus. Quin & ea, quibus ipse usus fuerat, exemplaria mss. rursum inspeximus, cum eorum copia fuit. Quæ autem alicubi nobis aliter, quam ipse legerat, scripta aut edita occurrerunt, ea, nisi aperte meliora & genuina fuerunt, duntaxat annotavimus ad oram libri, ne primam editionem aliquo fortasse in loco temere solicitaremus.

Quinetiam cum in aliquibus librorum ab illo editorum exemplis, ipse manu sua quasdam postea emendationes ac variantes lectiones adscripserit: cumque in suis pariter Notis subinde, propria item manu, quædam addiderit, aut in melius mutaverit: hæc quidem omnia, tanquam ab ipso posterius reperta aut cogitata, atque adeo in lucris ponenda, suis locis repræsentavimus; sic tamen ut quænam & ex quibus mutata fuerint, aut facile videre lector possit per se se, aut ibi a nobis de re tota moneatur.

Apposuimus etiam quandoque ex Philip. Labbei, Joan. Garnerii, atque adeo Clariss. VV. Lucæ Dacherii, Francisci Combefisii, Stephani Baluzii, Joan. Mabillonii, & quorumdam aliorum libris ac vigiliis, tum lectiones auctorum variantes, tum etiam aliquas annotationes, cum visa res est id poscere: itemque de nostro, quanquam id rarius & parcius, nonnihil quibusdam in locis subnotavimus: at omnia hæc asterisco, ac, quæ aliorum sunt, etiam adscriptis ipsorum nominibus, a Notis Sirmondianis distinguuntur.

Ennodii, Aviti, Facundi, Anaſtaſii, &c. quædam opuſcula, poſt Sirmondum reperta ab aliis & publicata, prioribus eorumdem auctorum operibus adjunximus : id quod Sirmondus ipſe, ut quidem putamus, facturus erat ſi tunc utraque præſto fuiſſent. Non poterit certe non gratum eſſe lectoribus, ſcriptoris ejuſdem omnia, quoad ejus fieri potuerit, uno in loco reperire. Sic & ad CAPITULA Caroli Calvi &c. adjecimus aliquammulta ex V. C. Stephani Baluzii ſplendida & ampliſſima CAPITULARIUM Regum Francorum editione.

Quartus tomus continet ea quorum Sirmondus auctor ex toto, ſive quæ de ſuo ipſe compoſuit, varias diſſertationes ac libros dogmaticos, hiſtoricos, criticos, qui vivente ipſo prodierunt : tum & nonnulla generis ejuſdem, quæ poſt ejus mortem in quibuſdam aliorum libris edita fuerunt ex occaſione : demum & quædam alia nunquam antehac publico donata, quæ in ejus ſchedis manu ipſius exarata reperimus.

In quinto demum tomo, S. Theodori Studitæ, doctrina, eloquentia, & ſacrarum imaginum defenſione clariſſimi ſcriptoris, tandiu deſiderati, vehementerque a viris doctis expetiti, Opera damus, nondum quidem omnia, ſed præcipua certe atque inſigniora, Græce & Latine, Sirmondo interprete.

De eodem Theodoro ejuſque monumentis, deque Latina illorum interpretatione ac editione olim a Sirmondo ſuſcepta, plura dicimus proprio loco. Pariterque de ceteris, quos iſta collectio complexa eſt, auctoribus ac libris, quæ, uſitato præfationum more, in hanc ipſorum editionem novam dicenda fuerunt, ea in ſingulos tomos prout ipſi auctores ac libri diſtributi ſunt, dividimus, atque in ipſo tomi cujuſque aditu ſingillatim exponimus.

Denique in hoc toto opere concinnando diligentiam quæ in nobis fuit omnem adhibuimus. Quæcumque in his quinque tomis citantur ex aliis auctoribus, curæ nobis fuit ea in fontibus ipſis, ſeu Græcis ſeu Latinis, quà licuit, rurſus inſpicere, & auctorum locos quam accurate & diſtincte indicare. Pluribus in locis Indices, qui deſiderari viſi ſunt, a nobis confectos ſubjecimus. Cumque notas ſuas Sirmondus ad calcem librorum, pro more temporis illius, rejeciſſet ; nos, quod nunc uſu receptum magiſque commodum lectoribus, eaſdem ſingulis auctorum locis quos explanant, in eadem pagina ſubjunximus. Alia quæ præſtitimus, ipſa per ſe agnoſcentur. Certe nihil omiſimus, quoad facultas tulit, quo nova hæc operum laudatiſſimi ſcriptoris editio locupletior prodiret atque ornatior.

VARIORUM SIRMONDI LIBRORUM DISTRIBUTIO IN QUINQUE TOMOS.

TOM. I.

TOM. II.

Theodulfi Episcopi Aurelianensis Opera.
Amolonis Epistola ad Gothescalcum.
S. Augustini Sententiæ de Prædestinatione &c.
Servati Lupi liber de tribus Quæstionibus.
Rabani Moguntini tres Epistolæ.

TOM. III.


Præfatio de iis quæ hoc volumine continentur.
Caroli Calvi & Successorum aliquot Franciæ Regum Capitula.
Anastasii Bibliothecarii S. Sedis Apostolicæ Collectanea.
Goffridi Abbatis Vindocinensis, S. Priscæ Cardinalis Opera.
Petri Abbatis Cellensis Epistolarum Libri IX.
Alexandri III. Papæ ad Petrum eumdem & alios Epistolæ LVI.

TOM. IV.

Præfatio de iis quæ hoc volumine continentur.
De suburbic. regionibus & Ecclesiis.
- *Censura Conjecturæ Anonymi scriptoris.*
- *Adventoria causidico Divionensi adversus amici ad amicum Epistolam.*
- *Censura vindiciarum Conjecturæ Anonymi scriptoris.*
- *Propempticum Cl. Salmasio adversus ejus Eucharisticon.*

De canone Arausicano.
- *Antirrheticus I.*
- *Antirrheticus II.*

Dissertatio de duobus Dionysiis.
Quæstio triplex. De Lege Celebrandis. *De Paragrapho* Duorum fratrum. *De Codice Alarici Regis.*
Historia Prædestinatiana.
Triplex nummus.
Antitristani duo.
Historia publicæ pœnitentiæ.
Disquisitio de Azymo.
Diatriba Sirmitana I.
Dionysii Petavii de eadem Synodo Sirmiensi Dissertatio.
Diatriba Sirmitana II.
Dionysii Petavii Elenchus Diatribæ utriusque.
Antiquæ inscriptionis explanatio.
Hieronymi Aleandri additamentum.
Præfationes nonnullæ.
Epistolæ aliquot Latinæ, Italicæ, Gallicæ.
Sirmondi Hodœporicum.




Præfatio de iis quæ hoc volumine continentur.

Vita S. Theodori Stud. auctore Michaele monacho S. Theodori discipulo.

Ejusdem Sancti Theodori Studitæ.

- *Testamentum.*
- *Antirrheticus I. contra Iconomachos.*
- *Antirrheticus II.*
- *Antirrheticus III.*
- *Confutatio Poematum Iconomachorum.*
- *Quæstiones quædam proposita Iconomachis.*
- *Capita septem adversus Iconomachos.*
- *Epistola ad Platonem de cultu SS. Imaginum.*
- *Epistolarum liber I.*
- *Epistolarum liber II.*
- *Versus Iambici.*



Z 1669
29

3395875

MC